DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VINO.

Gardiner (Jo.)

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE VINO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES GARDINER, Scoto-Britannus.

Ad diem 29 Decembris meridie, loco solito.

Genl's Office. SURGEON'S LIBRARY. 35408 Washington, D. C.

——— Vinum Deos
Mortalibus monstrâsse: recte utentibus
Summum bonum: intemperanter vero
Summum malum. ———

MNESITHEUS apud ATHENÆUM, p. 111.

EDINBURGI:

Apud HAMILTON, BALFOUR, & NEILL,

ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

M,DCC,LVIII.

VIRO EGREGIO,

D. ANDREÆ FLETCHER

DE MILTON,

SUMMÆ APUD SCOTOS CURIÆ JURIDICÆ

SENATORI,

TABULARUM PUBLICARUM SIGILLI

CUSTODI REGIO,

LITERARUM HUMANIORUM AMICISSIMO,

CÆTERISQUE VIRTUTIBUS QUÆ HOMINEM ORNANT,

CONSPICUO;

OBSERVANTIÆ GRATIQUE ANIMI

TESTIMONIUM,

DISSERTATIONEM HANCCE MEDICAM

D. D. C.

JOHANNES GARDINER.

IOHANNES CARDINAL

DE

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

QUAM

CONSENSU

CAROLI MACIO

ET

SENATUS

SUMMOS RITE OBTINENDOS

DIE

DE

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

AUTHORE

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS.

DE

VINO.

SECTIO I.

1. QUONIAM, juxta leges Academiae hujus illuſtriſſimae, omnibus ſummos honores in Medicina ambientibus, neceſſe eſt, ut quaedam ſpecimina peritiae et ſcientiae medicae in publicum edant; quaſdam obſervationes, de Vinorum natura et proprietatibus in genere, eorumque in corpus humanum variis effectibus, tum excellentia atque utilitate in medicina, et victu communi, in Diſſertationis hujuſce argumentum proferre libet; quaedam etiam de malis illis quae ex Vinorum abuſu ſaepiſſime oriuntur, diſſerere conabimur.

2. Per *Vinum*, non tantum liquorem illum ex ſucco uvae expreſſum, fermentationis vi productum, et hoc nomine vulgo inſignitum, ſed etiam omnem alium liquorem, e quacunque vegetabili materie elicitum, generalibus proprietatibus Vini praeditum (*a*), Cereviſiae, Hydromelitos, Pomatii, aut Pyratii, &c. nominibus ſingularibus diſtinctum, intelligimus.

3. De fermentatione, totoque Vini faciendi proceſſu, varii Auctores tam fuſe et docte diſſeruere, ut in hac Diſſertatione de iis agere ſupervacaneum eſſet; ſed quo melius Vinorum diverſorum naturam intimam attingamus, fermentationis effectus, quaedamque cum illa connexa, tum etiam generalia Vini principia, breviter proponere liceat.

4. Cum muſtum ex uva, vel alia quavis materia, vinoſam fermentationem ſubierit, ita natura ejus mutatur, ut ne vel minimum affinitatis aut ſimilitudinis cum muſto, vel liquore ante fermentationem, ſuperſit; ſed et toto coelo inter ſe differant (*b*): Nam Hydromel, Mannae, vel pulpae Caſſiae in aqua

(*a*) Vid. Boerh. Elem. Chem. tom. ii. p. 168.
(*b*) Vid. Boerh. Chem. tom. ii. p. 182, 183.

qua ſolutio, byneſque decoctum inſpiſſatum, recenteſque maturorum aeſtivorum fructuum ſucci expreſſi, et fermentabilium plantarum maturi aeſtivi ſucci, hauſti moderate, in genere refrigerant, ſaponacei ſunt, et attenuantis, laxativi, et reſolventis poteſtate praediti; et ſi immoderate adhibeantur, flatulenti, frigidi, laxantes, et ſuccos animales diſſolventes, maximam imbecillitatem et dyſenterias lethiferas ſecum afferunt. Quum diſtillantur, magnam aquae inſipidae vel phlegmatis copiam, aliquid etiam acidi, et parum olei praebent; ſed, poſt fermentationem, odor, guſtus, et vires medicinales, aeque ac principia maſſae ſic fermentatae, ita mirum in modum permutantur, ut totum compoſitum et de novo factum eſſe videatur. Magna enim pars olei fermentatae vegetabilis maſſae, effringitur, attenuatur et dividitur in principium ſubtilius, fluidius, et volatilius, ſpiritum dictum, qui in omnibus Vinis idem eſt, et cui omnis exhilarandi, inebriandique facultas, et aliae pleraeque virtutes debentur. Quaedam olei pars, quae non ita penitus attenuatur et ſubtilis redditur, ut omnibus ſpiritus virtutibus praedita ſit, ex ſtatu ſemifabricato craſſior eſt, naturam tum olei tum ſpiritus, participans.

Media

Media ſubſtantia vocari poteſt, qua praecipue omnia Vina a ſe invicem diſtinguuntur. In diſtillando, una cum ſpiritibus aſſurgit, cum illis intime commiſcetur, et hinc pendent cujuſlibet ſpiritus proprietates, hiſce ſolum exceptis, quae a puro ſpiritu fluunt, hujuſque guſtu et odore ſolo diſtinguendi inter ſe ſunt ſpiritus ; nam ſi repetitis diſtillationibus, partes ejus ita dividi et frangi poſſint, (vel, quod veriſimilius eſt, ut in iſtiuſmodi operationibus extinguatur, aut pereat) ut veram ſpiritus indolem acquirant, tum a phlegmate liberatus, uti vulgo dicimus, alcohol fit ; nec refert ſeu a ſpiritu Vini Gallici, ex frumento, ullove alio ſpiritu eliciatur ; nullo enim experimento vel minimam, inter ſpiritus ad alcohol redactos, differentiam obſervare poſſumus.

5. Hinc concludere licet, illum ſpiritum domeſtico uſui aptiſſimum eſſe, cui largior mediae ſubſtantiae copia ineſt ; quae omnino non in tenuiore ſpecie erit, ubi in larga phlegmatis copia diſpergenda eſt, neque in fortiſſimo, ubi fere deperdi vel mutari poteſt, ita ut priores vires omittat.

6. Sal

6. Sal Vini eſſentiale, vi fermentationis productum, aliquamdiu in eo diſſolutum remanet, etiamſi temporis progreſſu magnam hujus partem ad vaſis latera, in modum incruſtationis, quando Vinum ex uvae muſto confectum eſt, deponit. Quaedam tamen ex hujus tenuioribus partibus a terra depurgatae ſemper cum media ſubſtantia et alcohol remanent, Vini partem conſtituentes, illique gratum acrem et acidum ſaporem impertientes.

Ubi conſilium eſt, ut Vina quam maxime uvae odorem et ſaporem retineant, curandum, ut muſtum aliquam humiditatis partem vel calore ignis vel ſolis exhalet, unde craſſius, glutinoſiuſque fit, et perfectae fermentationi ineptum. Tum liquor, dum fermentatur, in cadum ardentis ſulphuris fumis acidis perfuſum immittatur, et vacua parte cadi ſupra liquorem iiſdem fumis impleta, ſtatim arcte obturetur, et ab omni aëre ſecludatur. Hoc modo fermentatio impeditur, dum adhuc vix dimidia parte perficitur; et ſi poſtea fermentatio reditura videatur, iterum ſulphuris combuſtione in fornicibus vel cellariis cohibetur (c). Et hicce profecto

(c) Lemery Cours de Chymie, p. 664. et Macquer, tom. ii. p. 242.

profecto modus fermentationis ſupprimendae optimus et tutiſſimus eſſe videtur.

8. VINA muſcata, Hungarica, Vini ſpecies e Gallicia, (*Tent*), omniaque alia quae Galli *Vins Soufres* vocant, omnibus aliis Vini generibus mediae ſubſtantiae copia antecellunt; minorem enim ſpiritus copiam, ratione ad mediam ſubſtantiam habita, poſſident, ob fermentationem modo praedicto ſuffocatam.

9. AB omni liquore fermentato, diſtillatione, ſpiritum ardentem extrahere poſſumus; ſed copia variabitur, pro varia ſubſtantia vegetabili unde Vinum producitur. Sic pomatium parvam copiam hujus ſpiritus Vini praebet, fortior vero cereviſia plus, et quaedam Vina fortia etiam largiorem copiam ſuppeditant.

10. TARTARI copia valde in quibuſdam Vinis diverſa, cum aliis comparata, e. g. Campaniae Vina paululum, Vina Aureliani plurimum praebent (*d*). Praeterea quaedam Vina pauxillum tartari produnt, et ſimul multum continent, ubi tartarus in iis ſolutus diſpergitur. Vina rubra in genere magis tarta-

ro,

(*d*) Malouin, T. 1. p. 403.

ro, quam Vina alba abundant; illorum fermentatio ſupra uvas calcatas, vulgo *Markam* dictam, peragitur; horum muſtum ſolum fermentatur (*e*). Eodem modo acida et aſpera Vina, et quae perfectam fermentationem ſubiere, tartari copiam magnam deponunt; dulcia vero et oleoſa non item, quorum ſcil. fermentatio repreſſa fuit (*f*).

II. PRAETEREA, obſervatu dignum eſt, Vina larga tartari copia gravida, Vinis minorem copiam habentibus, craſſiora videri, ſpiritumque eorum ita ſale, terra, aliiſque principiis obſeratum, ut vix in diſtillatione elici poſſit. Idem dici poteſt de Vinis ſulphuratis, in quibus ſpiritus eorum in liquore viſcido et ſemielaborato oleo, aut media ſubſtantia inviſcatur. Hinc videmus quamobrem quaedam Vina Hiſpanica minorem ſpirituum ardentium copiam ſuppeditent, quam Vina circa Pariſios et quaedam alia Vina Gallica (*g*), quorum principia minus arcte uniuntur; praecipue ſi ad fermentationem acetoſam tendant (Anglice *on the Fret*), quia ſcil. principia illorum magis disjunguntur,

(*e*) Lemery Cours de Chymie, p. 664.

(*f*) Boerh. El. Chem. T. 2. p. 39. 223.

(*g*) Lemery Cours de Chymie, p. 668.

disjunguntur, et ſpiritum ſuum parvo caloris gradu facile emittunt.

12. EXPERIENTIA etiam conſtat, cereviſiam fortiorem, Vinum muſçatum, et fortiora Vina Hiſpanica quae ſpiritum ſuum impeditum habent, Vina etiam Luſitana, omniaque Vini rubri genera quae tartaro abundant, et quae ſpiritus ſuos aliis principiis quaſi irretitos habent, in ſtomachum intromiſſa, effectibus ſuis tardiora et diuturniora eſſe Vinis Campaniae, Burgundiae, aliiſque multis, in quibus principia non tam arcte connectuntur, ſpirituſque volatiliores viſcerum calore facilius ſeparantur.

13. HINC Vinorum differentiam : Ad eorum odorem quod attinet, guſtum, vireſque, tam inebriantes quam medicas, hiſce praecipue conſtare videmus :

1mo, MEDIAE ſubſtantiae copia et qualitate. *2do*, Spirituum ardentium copia. *3tio*, Tartariae et terrenae materiei copia ; et *4to*, Variorum inter ſe principiorum nexu.

14. UBI totus proceſſus Vini faciendi ad finem perductus eſt, etiamſi, quantum cerni poteſt, fermentatio intermiſſa ſit, ſemper tamen lenis et vix perciienda motio longius breviuſve durat, ſecundum

fluidi

fluidi indolem, unde partes ejus magis attenuantur et ſubtiliora redduntur ; a tartaro et foece liberatur, et gradatim jucundius, gratius, exhilarantiuſque redditur ; atque adeo in genere haec operatio non niſi longo tempore perficitur, nam cereviſia fortior duobus vel tribus annis ſervari poteſt, meliorque fit tum guſtu tum odore. Quaedam Vini genera fortiora tardius matureſcunt ; ſed omnia ſpiritum ſuum amittunt et vapida fiunt, ſi nimis longo tempore cuſtodiantur, etiamſi ab aëre diligentiſſime conſerventur. Mihi quidem videtur, certum caloris gradum maxime eſſe neceſſarium ad hunc proceſſum matureſcentem fovendum, quó eae liquoris partes, quae non antea vi fermentationis ſatis debellatae erant, nunc ulterius mutentur, principiaque ejus arctius uniantur, et ſenſim liquor fragrantior, mitior, et guſtu jucundior fiat. Tempus vero et gradus caloris ad Vina hoc proceſſu maturanda neceſſarius, pro varia Vini natura multum variatur. Conſtat enim Vina inſulae Maderae tantum temporis et caloris ad ſua principia evolvenda poſtulare, et ad ſaporem generoſum reddendum, quantum delicatiorem tenuium Galliae Vinorum

texturam deſtrueret. PLINIUS ait, "Imbecilla "Vina demiſſis in terram doliis ſervanda, valida "expoſitis" (*b*). Praeterea, hoc tardo et vix ſenſibili motu ſolo, Vina vegeta et vivida ſervantur; nam aut ſummo oborto frigore aut aeſtu intenſiore, proceſſus hic reprimitur, et tum vapida fiunt, et multum illius odoris et ſaporis amittunt, quibus a ſe invicem diſtinguuntur, et, uti omnibus notum, ad haecce recuperanda in Vino in utribus conſervato, tempore hyberno, igni utres admovemus; aeſtate vero in vaſis aquae frigidae plenis collocamus. Homines Vina ob vetuſtatem plerumque laudant, quaſi vetuſtiſſima, optima; hoc fieri poteſt in Vinis admodum generoſis, ſed nequaquam in tenuioribus. Haecce enim regula generalis ſuas exceptiones patitur; tum ratione variorum Vini generum, tum diverſi temperamenti eorum qui illis utuntur. Mali effectus, qui ſaepiſſime a Vino bibendo, dum in ſtatu fermentationis, vel nondum ſatis depurato, ſecuti ſunt, jure merito homines a Vino bibendo, infra certam aetatem, deterreant; ſed nequaquam inde deduci poteſt, Vinum quo vetuſtius eo melius eſſe. Senes et qui frigida et pituitoſa temperie

(*b*) Hiſt. natur. lib. xiv. Cap. xxi. de cellis vinariis.

perie ſunt, nova Vina quae calore praedita, vel, ut Galli loquuntur, *qui ont du feu*, ſuo corporis habitui aptiora vetuſtis Vinis, modo matura ſint, invenient; vetuſta vero illa juvenibus contrarii temperamenti melius convenient. CELSUS inquit, "Vinum dilutius pueris, ſenibus meracius, neutri "aetati, quae inflationes movent. lib. 1. cap. 3. "de aetatum varietate."

15. ETIAMSI Vina alia ab aliis, proprietatibus unicuique ſpeciei propriis, differant; omnia tamen inebriandi facultate conveniunt, ſi ſupra modum bibantur. α Vinum igitur modice ſumptum nervos ventriculi, praecordia et cerebrum gratius afficit, calefacit, recreat, cordi vires adjicit, atque grato ſuo ſtimulo corpus univerſum mirum in modum reficit animatque. Unde omnes etiam animales et vitales functiones majore quaſi alacritate et vigore peraguntur, arteriarum pulſus velocius et plenius movetur, omnes ſecretiones, praecipue perſpiratio et urina, augentur. β Liberius autem uſurpatum, ſenſim ſecretos animi affectus, pro varia indole et ingenio cujuſvis, varie auget relevatque; peculiari autem modo gaudium, fortitudinem et amorem excitat. Ut, more ſuo, lepide OVIDIUS,

Vina-

Vina parant animos, faciuntque coloribus aptos,
Cura fugit, multo diluiturque mero.
Tunc veniunt risus: tunc pauper cornua sumit;
Tunc dolor et curae, rugaque frontis abit.
Tunc aperit mentes aevo rarissima nostro
Simplicitas artes excutiente Deo.
Illic saepe animos juvenum rapuere puellae,
Et Venus in Vinis, ignis in igne fuit (*i*).

Ingenia etiam excitat, ut homines musica, salibus et facetis leporibus gaudeant, acuti, lepidi, atque etiam facundi videantur, secundum facetum Poëtam HORATIUM.

Quid non ebrietas designat? operta recludit:
Spes jubet esse ratas: in proelia trudit inermem,
Sollicitis animis onus eximit; addocet artes.
Foecundi calices quem non fecere desertum?
Contracta quem non in paupertate solutum? (*k*)

Ubi vero Vino immodice indulgetur, tum animum ad laetitiam effusam, ad cantandum, saltandum, et paulatim insaniendum, quodam modo provehit. Sanguis tum valde rarefactus, spatium solito majus occupat, venae tument, arteriaeque tensiores et

(*i*) De arte amandi.
(*k*) Lib. 1. epist. 5.

et pulsibus frequentiores fiunt. Cerebrum perturbatum videtur, vis judicii et rationis imminuta; hinc gestus stulti, sermonesque fere ridiculi fiunt. ♂ Si ulterius bibatur, tum vero viribus nostris sensim deficientibus, nosmetipsos sustentare nequimus, sermo deficit, oculorum acies hebet, candelae aliaque offuscantur, apparentque quasi in nube, aliquando etiam duplicia et ante oculos moveri videntur; caeteri sensus prope extinguuntur et natura fere devicta est, donec tandem in somnum ebrius dilabitur, vel lethargicus fiat. Vertigo, magna stomachi aegrotatio et vomitus saepissime haec signa praecedunt. ♃ Ubi tandem ad ultimum excessum ventum est, et homines graecantur, ut aiunt, paralysis, apoplexia, vel etiam mors ipsa sequitur, quorum exempla plurima ob oculos quotidie habemus. Si vero haec dira effugiamus, febris per diem integrum fit cum vehementi siti, stomachi molestia, aliquando vomitionibus capitisque dolore, judicio aliquantulum perturbato; quamvis quidam, febre abeunte, vividiores, limatioriſque judicii soliti fiant, postea tamen hebetiores, tristiores moeroreque afflicti evadunt.

16. Spiritus

16. Spiritus ex Vinis inter diſtillationem prodeuntes, hancce inebriantem vim majore gradu poſſident, ebrietate illabente et citius abeunte, effectuſque ſeveriores habent; nam majore ſpirituum ardore, et fortiore in vaſa et nervos ſtimulo, tonus eorum valde laeditur; unde laſſitudo et moeror gravior efficitur, quam quae a Vino ſolo fluant. Praeterea, aliis proprietatibus praediti ſunt praeter haſce quae in Vino puro percipiuntur, et quae eos corpori humano perniciosiores reddunt, quum liberalius potantur (*l.*)

17. A Vini virtutibus cardiacis et exhilarantibus, quas e moderata ejus potatione quaſi continuo ſentimus, et ab aliis ejus effectibus ſupra memoratis, potationem immodicam comitantibus, ſtatuere licet, diverſos hoſce pendere effectus, ex immediata ejus in ventriculi nervos actione, et ex eo quod ſpirituoſa ejus pars cum ſanguine miſcetur, eumque excitat, ut ſolito magis cor ſyſtemaque vaſculare ſtimulet. Priori delirium, poſteriori febris ebrietatem conſequens debetur.

SECTIO

(*k*) Vide Boerh. Chem.

SECTIO II.

1. Hinc Vinum, ex effectibus ſuis in corpus humanum, optimum medicamentum eſſe patet, ubi temperate bibitur; tum maximum in toto terrarum orbe venenum, ubi homines nimis ei indulgent. Difficile dictu eſt, an ullum aliquod ſimplex in rerum natura majori utilitati hominibus, et ſimul majori exitio tot millibus humani generis, hocce nobili et generoſo Vino, monſtrari poſſit.

2. Commoda, ex ejus effectibus jam memoratis, pleriſque hominibus conveniunt. Sed praecipue hominibus frigidae et pituitoſae temperiei; tempore hyberno; et viventibus in regionibus frigidis et humidis; melancholiae obnoxiis; ubi facultates et vires, aut a morbis diuturnis, aut ſenectute deficiunt. Hominibus ita ſe habentibus, ſanguinis circulatio lenta, perſpiratio etiam minus libera, et natura omnino in ſuſtentanda animali oeconomia ignava eſt. Talibus quaedam Vini portio cum diaeta, non tantum utilis eſt, ſed etiam maxime neceſſaria ad concoctionem promovendam, animoque exhi-

larantem

larantem jucunditatem praebendam, ad circulationem perſpirationemque excitandam, omneſque tum ſecretiones tum excretiones propria vi et vigore promovendas. Nam procul dubio ille vivendi modus, qui dum copioſam perſpirationem promovet, humores haud nimis exagitat, ſanitatem tuetur, et maxime ad longevitatem confert. Veteres enim, cum intelligerent a Vini potu tanta commoda redundare in corpus, eam ob cauſam, ebrietatem, non quidem frequentem et intenſam, ſed levem et raram, commendarunt. Arabes Medici, et inter hos AVICENNA, quovis menſe, ſemel aut bis ebrietatem, ad proliciendum ſudorem, et ad reſolvenda ea quae ſuperflua ſunt, maxime laudant (*m*). ASCLEPIADES, utilitatem Vini aequari vix deorum potentia poſſe, pronunciavit (*n*). Et CELSUS, tam in valetudine tuenda, quam in variis morbis, liberalem Vini uſum commendat (*o*).

3. IN variis morbis chronicis, ubi magna nervorum debilitas, ventriculi aliorumque viſcerum imbe-

(*m*) Sect. iii. cap. 8. in mag. ſui oper. lib.

(*n*) Plin. Hiſt. Nat. lib. xxiii. cap. 1.

(*o*) Lib. i. cap. 8. lib. iii. cap. 9, 19, 20. lib. iv. cap. 5, 25, &c.

imbecillitas, indigeſtiones, moerores et animi ſolicitudines; morbidiſque ex humoribus, flatulentiis, et vaſorum ſpaſmodicis conſtrictionibus, dolores et oppreſſiones oriuntur. In talibus omnibus morbis moderatus Vini uſus plurimum laborantibus confert. WHITAKERUS ait, " Vinum medica-
" mentum eſt, ac ſi mea experientia eſſet tanti,
" varias et mirandas operationes uſu hujus medi-
" camenti in meipſum, et in alios quam plurimos,
" ſilentio non poſſum praeterire, ſcilicet, corpo-
" ra extenuata, ad ſarcoſitatem redacta, et ex-
" ſiccata, ad humiditatem oleaginoſam, quando
" cereviſiae debilis, vel aquarum potatores, com-
" plexiones ſimiarum potius quam hominum ob-
" tinerent (*p*)." Et divus PAULUS, non ſine ratione, TIMOTHEO dyſpepſia laboranti ſuaſit, ne amplius aquam biberet, ſed ut Vino modico, propter ejus ſtomachum et frequentes ſuas infirmitates, uteretur (*q*). Vinum enimvero calorem benignum, ſtimulumque lenem ſtomachi nervis impertit, fibraſque ejus corroborat, viſcera omnia ſolatur, appetitum promovet, cibi concoctionem

C adjuvat,

(*p*) Tract. de ſang. uvae, p. 33.

(*q*) 1 Tim. cap. v. ver. 22.

adjuvat, motus nimios a nervorum potentia provenientes ſopit et ſedat, dolores mitigat, animumque hilarem reddit, calorem generalem per totum corpus diffundit, ſanguiniſque circulationem aequabiliorem, potentioremque adfert, excitatque ad varias functiones regulariter peragendas, quae non parum ad convaleſcentiam aegri conferunt. Tali in caſu, praeſcribi fere ſolet modica Vini ejus copia, quod tardum et permanens in ſuis effectibus, qui pedetentim dilabuntur cum minimo languore, animique dejectione; quale eſt Vinum Canarienſe, quaedam generoſa Vina muſcata, vel vetus rubrum fortius. Et quibuſdam certae temperiei cereviſiam fortem idoneae aetatis, modica copia et idoneis intervallis ſumptam, non minus utilem invenimus. Ab omni autem ratione alienum eſſet, tantam copiam permittere, quae vel minimum inebriationis gradum afferret, quod ſemper majori damno aegro quam bono eſſet. Hujus praxeos finis tantum eſt, ut debita nervis concilietur energia, atque ut mens hilaris et ab omni dejectione libera ſit. Hinc Vina omnia tenuiora, tum dilutiora volatilia, in tali caſu parum prodeſſe conſtat; multo minus ſpiritus ardentes, qui nimio calore et ſti-

mulo

mulo fibras et nervos ventriculi crispant, et ad functiones peragendas inutiles reddunt, sicque totum corpus debilitant, ut aeger sit depressus et dejectus animo, donec altero haustu reficiatur; quod nihil aliud boni afferret, praeter haustus tertii necessitatem, atque ita porro, ubi effectus prioris evanuerit. Et aliquando aeger infelix paululum se illico refectum sentiens, majorem copiam meliores effectus allaturam existimat; unde paulatim sibi, in hisce liquoribus sorbillandis, indulget, qui non tantum corporis temperici exitiosi sunt, et morbum augent, sed alia mala, non minus lethifera, hisce, quorum remedium quaerebant, adducunt.

4. Ubi ex aquosa vel humida regione, ex pluviosis et calidis tempestatibus, etiamque ex parca et insalubri diaeta, et longo magnoque animi moerore, spirituumque dejectionibus, &c. homines, intermittentibus, talibusque morbis, sive continuis sive remittentibus, obnoxii sunt; Vinum non tantum in talibus morbis curandis rite subministratur, sed liberius sumptum, optima antidotus contra eos merito judicatur; dum circulationem debitam promovet, gnavos agiles reddit, et secretiones auget. Unde sanguis fluxilis, et iis impuritatibus liber conservatur,

ſervatur, ex quibus tales morbi oriuntur. HYPPOCRATES, De victus ratione ſanorum, dicit, " Vinum igitur recreat ac ſuſcitat calorem no-" ſtrum, atque ideo concoctiones meliores fiunt, " et ſanguis probus gignitur, alimentum quoque " in omnem corporis partem deducit, quum mea-" bilis ſit. Quocirca, eos qui ex morbis attenuati " ſunt, plenos reddit; nam ipſis alimentorum ap-" petentiam excitat, et quidem pituitam attenuat, " bilem vero per urinas expurgat, jucunditate ac " alacritate perfundit animum, et robur addit (r)." Sagaciſſimus Doctor PRINGLE, ingenii acumine jure celeber, ex cujus libro De Morbis Caſtrenſibus, multa utilia in praxi didici, longa experientia et uſu obſervavit, praefectos, militeſque qui bibere largius Vinum, liquoreſque ſpirituoſos ſoleant, minus obnoxios eſſe endemicis epidemiciſque morbis paludum et caſtrorum, iis qui, vel ex inſolentia, vel angusta re, ei eatenus indulgere non poterant. In Medicis Obſervationibus, nuper Londini editis, Dom. COLDEN, in hiſtoria febris nervoſae, quae epidemica et lethalis Allangiae in America fuerat, anno 1746, ait, " Memorabile tamen, etiamſi " multi

(r) Lib. ii. cap. 6. Charter. tom. vi. p. 469.

" multi hac febre correpti essent, nullos ex Vini
" Madeirae potatoribus ea infectos fuisse. Porro,
" quidam qui nonnullis diebus se hac febre labo-
" râsse existimaverat, (ut primo tantum de gene-
" rali lassitudine, nec se bene valere nec aegrotare,
" infecti conquererentur) nos bibere vespertino
" tempore assuetos beneque valentes, certiores fe-
" cit, se illa nocte nobiscum bibere statuisse: Tem-
" pore statuto largius potavit, et ex illo tempore,
" nulla ulterius symptomata habuit (s)." Prae-
stantissimus HOFFMANNUS inquit, " Mortales
" a multo tempore anxie laborarunt, et quaesive-
" runt securum remedium ad longam et sanam
" vitam, quo omnis generis afflictiones arceri a
" corpore, et sanum ac robustum illud, in multos
" annos, conservari posset: Sed an melius et ac-
" commodatius quoddam ipso Vino excogitari
" possit, equidem non video: Constat et aliis re-
" mediis sua laus et gloria, cum Vino tamen nun-
" quam sunt comparanda; quandoquidem Vinum
" non tantum in corpus agit, sed in ipsam animam,
" quam reficit, sanat, ejusque functiones mirifice
" promovet."

5. IN

(s) Medical Observations and Inquiries, p. 226.

5. In remittentibus, et malignis, putridiſque febribus, Vinum certo et maximo commodo aegrotis eſt, ubi cardiaca adminiſtranda ſunt. Hoc vero fere nunquam neceſſarium, donec febris minuatur, vires deficere incipiant, pulſus ſubſidat, et ſtupefactio quaedam, aliquando etiam leve delirium, aegroto ſuperveniat; tum ex antiſepticis et exhilarantibus proprietatibus maximae utilitati eſt. D. Pringle, citatis Areteo, Riverio, Hoffmanno, aliiſque, ex propria experientia, in febre maligna, quum pulſus ſubſideret, valde frequentem fuiſſe, et ut ex Vino hauſto excitatus eſſet, tum tardiorem evaſiſſe; etiamque ſe optimos Vini effectus, quum lingua ſpurca et arida eſſet, perſpexiſſe affirmat; et addit, " Certiſſimum indicium utili-
" tatis Vini, ſit ex morbi diuturnitate, languore,
" et virium dejectione, vocis ſubmiſſione et debi-
" litate. Sed nunquam de effectibus ejus certi
" poſſimus eſſe, niſi experiamur. In variis hujus
" generis caſibus, miram inſtinctus vim obſervavi;
" nam quum Vinum profuturum eſſet, avide aeger
" exhauriebat, pluſque rogabat; cum e contrario
" eos calefaceret, vel delirium augeret, tum in-
" differentiam aut faſtidium Vini oſtendebat.

" Aliquando

" Aliquando Medicus non meliorem modulum
" copiae neceſſariae ſubminiſtrandae, quam deſi-
" derium vel appetitum aegri, habet (*t*)." Dom. COLDEN etiam, in Epiſtola ante memorata, dicit,
" Seſe obſervâſſe hunc morbum, in muliere illuſtri
" loco nata, ſpeciem intermittentis, vel potius re-
" mittentis febris habuiſſe, cum frequenti de-
" preſſo pulſu (praeterquam in paroxyſmis, cum
" attolleretur) ſpirituumque dejectione, ſumma in-
" quietudine, et tota appetitus proſtratione, ſudo-
" ribuſque parcis, odoris rancidi putridique.
" Medicus, qui aegram curabat, fruſtra medicinam
" uti febri intermittenti ſubminiſtrabat. Vires
" hujus mulieris diminutae erant, omniaque me-
" dicamenta aſpernabatur; juſſi, ut intervallo 4
" vel 5 horarum, paulum Vini veteris Madeirae
" biberet. Ex hoc uſu Vini praeſcripto, brevi
" convaluit, citiuſque quam expectari potuerat.
" Pauper quidam, ſub ejuſdem Medici cura, con-
" valeſcentiam hujus mulieris audiens, lagenam
" Vini rogatum miſit, annuente Medico, conceſ-
" ſum eſt, morbum aegre medicabilem exiſti-
" mante: Pauper tamen hoc modo convaluit;
" congium

(*t*) Obſervations on the diſeaſes of the army, p. 273.

" congium vero Vini intra paucos dies exhauſit, " largiuſque potavit quam ei permiſſum fuerat. " Alii etiam eodem modo Vini opera convalu- " erunt (*u*)."

6. TEMPORE autumni, anno 1752, quidam Bowman miles, annos 41 natus, homo pleno habitu, et firma corporis conſtitutione, febre continua correptus eſt; eaque ingraveſcente, neceſſaria erat venaeſectio, nitroſorumque pulverum, aliorumque remediorum, ad febrem compeſcendam, adminiſtratio. Omnia cum ſpe convaleſcendi, uſque ad diem nonum evenere; tunc pulſus multum virium ſuarum amiſerant, eratque illi etiam aliqua ſubſultus tendinum vellicatio, cum ſtupore et ſenſuum hebetudine; ſtatim inter ſcapulas veſicatorium applicabatur, parvumque bolum rad. ſerpent. virg. caſt. et camphor. unaquaque hora tertia in ſero vinoſo ſumebat, ſimul ejuſdem ſeri hauſtulo nonnunquam cum miſtura ſpiritus mindereri dato, et aliquando ſinapiſmis pedum plantis applicatis, excitabatur. Sed quamvis maxima cura et diligentia inviſeretur, poſt multam operam fruſtra impenſam celeriter elanguit. Die 12mo comatoſus evaſit

(*u*) Medical Obſervations and Inquiries, p. 225.

evaſit, pulſus depreſſus erat, valde frequens, ſexto vel ſeptimo quove ictu intermittens, pedes frigidi evaſere, et maximus tendinum ſubſultus. Veſicatorium tum ſingulis talis applicatum, boli uti antea cum moſchi adjectione continuabantur, et pro communi potu ſerum lactis vinoſum. Ægro hoc in ſtatu, ſine ulla mutatione, ad diem 14mum permanente, tunc ſecunda quaque hora modicum poculum Vini fortis veteriſque Luſitani illi ſubminiſtrari juſſum erat. Hoc optimum cardiacum ei fuit; nam 15 die pulſus ejus fortior, omnia ſymptomata leniora, et ſenſus recuperare videbatur. Circa meridiem ſudore perfuſus fuit, qui uſque ad proximum mane perſeveraverit; toto hoc tempore Vino et jure tenui pullorum ſuſtentatus erat: Urina ejus ſedimentum uberrimum puri ſimile depoſuerat, omnia ſymptomata, ex illo tempore, ſenſim evanuere, et intra duas aut tres hebdomadas priſtinae ſanitati reſtitutus erat.

7. Mense Januario 1755, Joannes Croſely miles gregarius, 43 aetatis annum agens, corpore macilento, febribuſque obnoxius, alias vero ſatis felici habitu, febre lenta et nervoſa correptus fuit; gravedine vero ſolum ſeſe laborare exiſtimans,

per ſex aut ſeptem dies foras, more ſolito, ambulabat, excubias agebat, de levibus doloribus per totum corpus, doloreque capitis, et de gravi oppreſſione circa praecordia, per totum hocce tempus conquerebatur. Octavo vero die leni delirio captus fuit, et hoc invaleſcente, paucis diebus paulo intractabilis erat, e lecto aſſurgens, frequenter foras egredi conabatur; tandem die 13tio tranquillus ſeſe habebat, ſed ſtupidior inſenſibiliorque fuit, eratque illi etiam tendinum ſubſultus, pulſus debilis contractuſque, et urina ſine ſenſu effluebat. Die 20mo, valde imbecillus erat, gravi ſingultu perturbatus, pulſus debilis et fluctuans, extremaque corporis frigida, et omnia ad ſtagnationem prona videbantur. Per totum febris decurſum, omnia in diaeta, potu, medicamentis et applicationibus, quae ei profutura exiſtimarentur, ad ſymptomata allevianda, illumque ſuſtentandum, ſuppeditata erant, donec criſis ſuperveniret, ſed minima ſucceſſus ſpe. Vinum deteſtabatur, et per quoſdam dies recuſabat, ſed ſaepius cereviſiam fortiorem rogabat, exclamans ſeſe cito convaliturum, ſi ei tantum libram cereviſiae bibere permiſſum eſſet, die 21mo librae duae fortiſſimae optimaeque cereviſiae ei afferuntur; quadrante

drante horae, dimidium abſorpſit, et reliquum per noctem, in poculis ei ſubminiſtrabatur. Die 22do, Sudore perfuſus, et omni modo melius ſemet habuit. Illo die eodem modo alteram cereviſiae bilibram ebibit, et ſudando fere per 24 horas, morbi criſis completa fuit. Multum ſedimenti in urina reſederat, et ſymptomata ſenſim evanuere: Lenis diarrhoea et ſudor modicus per quoſdam dies poſtea reſtiterat; macelentus evaſit, viſque ejus multum minuebatur, ſed intra quatuor ſeptimanas a criſi, foras ambulare potuit, et cito convaluit.

8. VARIA alia exempla afferre de optimis Vini et cereviſiae effectibus poſſem; ſed vereor ne hactenus prolata] in tentamine hujus generis prolixa videantur; ubi ſi fas eſſet, haud omnino difficile foret, utilitatem eorum in omni febrium ſpecie, monſtrare; praeſertim in febribus diuturnis. HUXHAM de methodo aegros ſuſtentandi in talibus morbis differens, et profuſos ſudores cohibendi, qui ante morbi ſtatum tam pernicioſi miſeris fiunt, dicit, " In hoc caſu, ex animo generoſum rubrum " Vinum commendo, uti nobile, naturale et ſub- " aſtringens cardiacum, et fortaſſis ars melius per-

" ſcribere

"ſcribere non poteſt.—Hoc mihi perſuaſum habeo, "aliquando in ſtatu, et ſaepius ſub finem putrida- "rum et malignarum febrium, Vinum utiliſſimum, "praecipue cum ſubacidum, limonum vel aurantio- "rum ſucco reddatur (x)." In quibuſdam etiam variolarum ſpeciebus Vinum laudat. Et hoc ſolo prae reliquis cardiacis uſus fuit SYDENHAMUS in variolarum curatione, ut languentes excitaret vires (y).

9. SED recta Vini praeſcribendi ratio, uti aliorum remediorum, temporaque praecipiendi, in febribus curandis, uſu tantum ediſci poſſunt; et veriſimillimum eſt, melius perſpectum iri a Medico qui intento animo in naturae ſtudium iucubuerit, cura indefeſſa eam variis temporibus, curioſo et aequo animo obſervans; hinc vires naturae melius et penitius illi innoteſcent; varias etiam res clarius perſpicit, quae conamini naturae, ad corrigenda ea quae in humana temperie male ſe habeant, reſiſtant; quaeque ad haecce removenda conducant, quantum fieri poſſit, dignoſcet; quommodo illi temperet in violentioribus conatibus; ignavamque ad vires ſuas exercendas ſtimulet; propriamque rationem

(x) Eſſay on fevers, p. 123. et 124.

(y) Pag. 376 et 378.

rationem ineat eam ſuſtentandi, labefactam diuturnitate morbi aut violentia, intelliget. Hoc modo divus ille HIPPOCRATES, et antiquorum plerique progreſſi ſunt; quorum praecepta monitaque, in morbis cognoſcendis et curandis, ad hunc uſque diem, maximo pretio habentur. Nam etiamſi pluri mis ex chemia et phyſica depromptis, quibus nos hodie fruimur, deſtituebantur; tamen, in morbis tractandis, maximum judicium et ſummum ordinem cernere licet; mira enim perſpicacia in praxi illorum perſpicua eſt, quae fere accuratiſſimis obſervationibus fundata erat. Peritiſſimi erant in perſpiciendis medicamentorum effectibus, et optimo cum ſucceſſu plerumque praeſcripſerunt. Ex variis illorum ſcriptis patet, illos vires Vini medicinales probe perſpexiſſe, ſaepeque in febribus curandis, multiſque aliis in morbis, feliciter illud ſubminiſtraſſe. HIPPOCRATES dicit, "Qui ſanitatis cu-
"ram gerunt, eos Vini rerumque venerearum fa-
"cultatem noſſe oportet (z)." Et

ARETAEUS de curatione cardiaci affectus, ait,
"Verum ſi multus ſudor emanet, arteriae jam mi-
"care

(z) De victus ratione ſanorum lib. ii. cap. vi. Charter. tom. vi. 469.

"care desinant, vox acutior reddatur, et pectus "calore destituatur; Vini quantum potare possit "concedendum. *In solo enim Vino refrigeratis "spes vitae posita est.* (μόνος γαρ οἶνος ἐλπὶς ἐς ζωην ψυ- "χοῖς) Vinum itaque sit usitatum, et modo id "aegrotus tantum bibat, modo cibum cum vino "assumat." (*a*)

10. FATENDUM tamen est, quosdam esse corporis habitus et febrium species, ubi liberalis Vini usus procul omni dubio aegro perniciei futurus est. Neque eadem copia ubi cardiacum necessarium est, diversis hominibus administrandum; etiam ubi aetas, robur, et corporis temperies fere eadem sunt. Sed mori et consuetudini hominis bene valentis concedendum est (*b*). Vinum minime praescribere convenit homini aquam vel cereyisiam tenuem tantum bibere inter edendum solito, uti alii qui quatuor laginas Vini quotidie ingurgitaverit. Sed necessitatem hujus praxeos illustrare non melius possum, quam festivam historiam doctissimi BOERHAAVII vobis exhibendo, uti extat apud VAN SWIETEN, et quam in praelectionibus suis discipulis recitare

(*a*) Pag. 101, et 102.

(*b*) Vide Hoffm. de consuetudinis in tuenda valetudine efficacia:

recitare ſolebat, " Decumbebat acuto morbo in pago
" vicino vir primarium ibidem munus gerens et ſtre-
" nuus potator ; vocati Medici ſanguinem miſerunt,
" victum tenuiſſimum praeſcripſerunt, et dilutiſſimos
" potus, unde adeo debilitabatur miſer, ut animam fere
" ageret, neque interim multum remittebat febris
" impetus. Alter Medicus, qui ſolebat aegri hujus
" curam gerere, et ſaepius cum illo Baccho litare
" dum ſanus erat, abfuerat per aliquot dies caſu, de-
" inde redux inviſit amicum, atque cum aliis Medi-
" cis in conſilium veniens, dixit ridens, ſe ſolum
" probe noviſſe, qua muria, hoc corpus condiri
" deberet, ne putreſceret : Illicoque juſſit dari
" Vini Rhenani generoſi poculum, et jura carnium.
" Obedibat facile amici conſilio aeger, et ſic reſocil-
" latis viribus brevi e periculoſo morbo evaſit." (c)

11. QUIBUSDAM Vinis peculiaris eſt ſupra alia, quaedam praeſtantia, in quibuſdam morbis et certa corporis temperie ; multumque intereſt ſi fieri poſſet, ut utriſque accommodentur. Delectus igitur Vini ſpeciatim conſiderandus; ſed tam variis circumſtantiis dirigendus, ut revera me extra limites hujuſmodi Diſſertatiunculae longe traheret, ſi de

(c) G Van Swieten Comment. in Aphor. Boerh. tom. ii. p. 110

de hac re tam fuse agerem, quam ipsa res postulet. Nunc igitur ad ultimam hujus Tentaminis partem progrediendum, ubi quasdam observationes, de hujus optimi et generosi liquoris abusu, breviter proponemus.

SECTIO III.

1. QUAMVIS, uti hactenus vidimus, Vinum aptis occasionibus, tam in sanitate quam variis morbis temperate epotum, optimum cardiacum jure merito censetur; tamen, sine consilio prudenti et nimis copiose haustum, sanitati plurimum adversatur, foresque variis morbis aperit. Hinc magnus HOMERUS, Hectorem precibus matris Hecubae ad vires suas recreandas augendasque Vino, respondentem introducit,

Μὴ μοι οἶνον ἄειρε μελίφρονα, πότνια μῆτερ,
Μὴ μ' ἀπογυιώσῃς μένεος δ' ἀλκῆς τε λάθωμαι (d).

Ubi huncce excessum in Vino bibendo, qui cum aliquo ebrietatis gradu debilitatem afferat, innuit.

Qui

(d) Iliad. lib. vi. ver. 264.

Qui effectus in bibendo nimis liberaliter mirabilis est, et procul dubio nos attonitos redderet, nisi nobis videndi frequens occasio esset.

2. Cum aliquis frequenti potationi non est assuetus, tempore debacchandi plethoricus fit, febribusque, et morbis inflammatoriis obnoxius; vel si interim contagione cujusdam epidemicae febris, jam jam erupturae correptus fuerit; vel si forte longo tempore, intemperantiae gulae, commessationibusque indulserit, aut etiam ad multam noctem vigilaverit, et frigori objectus fuerit; tali in casu periculum febris inflammatoriae pessimi generis, multum timendum est; vel enim miser aeger paralyticus fit, aut apoplexia corripitur, aut subito moritur. "Si quis ebrius ex improviso mutus fiat, "convulsus moritur, nisi febris corripuerit, aut "ubi ad horam qua crapulae solvuntur, pervenit, "locutus fuerit." Sic olim pronunciavit Hippocrates (*e*).

3. Quo minus aliquis Vino potando, vel aliis spirituosis liquoribus assuefactus est, eo periculosior est inebriatio; nervosis enim ventriculi, cerebri, vasorumque totius corporis fibrillis nondum

(*e*) Aphor. v. Sect. 5.

tam ſubitis violentiſque affectionibus, quibus abeuntibus etiam languores ſuccedunt, aſſuefactis, neceſſe eſt, ut effectus ejus ſeveriores diuturnioreſque hac de cauſa fiant. Nam homines quo magis et ſaepius foedo huic ebrietatis vitio indulgent, eo minus, violentae illae viciſſitudines percipiuntur, et ex aſſuetudine faciliores evadunt; quamvis interim corporis habitum laedant, ſaevoſque etiam morbos creant, qui, etſi progreſſu tardiores, ſenſim tamen vires imminuunt, aerumnas adducunt, et non minus diriſſima quavis apoplexia exitio ſunt.

4. Stomachus enim fibris gradatim tonum et debitam ſenſibilitatem amittentibus, imbecillus et ad concoquendum ignavus fit, donec Vini aut ſpirituum ardentium hauſtu ejus fibrae refocillentur et ſtimulentur. Cui quidem rei Vinum et ſpiritus ardentes utiles ſunt, et ciborum digeſtioni inſerviunt, idoneis utique temporibus rite diluti et moderate ſumpti; ea namque virtute pollent; ſed et aliis induti ſunt proprietatibus, praeſertim ſi immodice adhibeantur; humores enim coagulant inquilinos, concoquenda obſtringunt et dura reddunt, eorumque ſolutionem impediunt; unde hoc in caſu nedum ut adjuvent, partium cibi ſeparationem etiam

am prohibent, digeſtionemque plane retardant; neque ita chylus in ventriculo et inteſtinis concoctionem idoneam obtinere poteſt; ſed ſanguini immiſtus tantam cruditatem et viſciditatem uſque retinebit, ut vix, circulationis vi, naturae ejus aſſimuletur, atque ita nutritioni, aliiſque functionibus, idoneus reddatur. Multi autem ex malis ſpirituum ardentium effectibus, eorum in nervos actioni debentur, qua ſenſim tam motrices quam ſenſiles facultates imminuunt: Ita uti ebrioſi, temporis progreſſu viribus deficiant, quibus, dum ſobrie viverent, gaudebant; nervi enim et muſculi, quorum actio a nervis pendet, repetitis, quos ſuſtinent, ictibus multum virium amittunt, et maxime laeduntur; et ex debitae ſtabilitatis firmitatiſque inopia, caput, caeteraeque corporis partes, commoventur contremiſcuntque. Acies etiam oculi aliique ſenſus ſaepe imminuuntur, judicium errat, donec tandem ſtupidi, inertes et ignavi evadant.

5. Ex magna liquorum quantitate quam deglutiunt vinolenti, quorumque injuſto onere ſanguis premitur, neceſſe eſt, ut inuſitata lymphae ſecretio in ventriculo, et pulmonum veſiculis fiat. Copia cujus aliquando ex vaſorum imbecillitate, et febre

qua

qua laborant, dum inebriantur, augetur. Et quamdiu moratur in hiſce partibus, ſpiſſior et tenacior fit; multum moleſtiae ſaepiſſime creans, praecipue matutino tempore, tuſſim vehementem, ſtomachique dolorem, nauſeamque excitans, donec tandem repetitis vomitionibus fuſe ex ore eructetur: Tum paululum levantur; ſed ferme ad potandum ſeſe poſtea recipiunt, ad calefaciendum, ſcilicet, et recreandum; de ſtomachi frigore, ſeſeque nihil aquoſum pati poſſe ſemper conquerentes.

6. Cordis impetus maxime auctus Vinorum vel ſpirituum vinoſorum potatoribus, ebrioſorum vinolentorumque ſaepe vaſtae corporis magnitudinis cauſa praecipua eſſe poteſt. Viſcera enim fere omnia, ex cordis proximitate ad vaſtam molem creſcunt, membrana adipoſa ubique maxime ſpiſſa, copiaque pinguedinis in thorace et abdomine, ſaepiſſime ita augetur ſupra quam, in his locis, natura poſtulat, ut libera pulmonum diaphragmatiſque actio in reſpirando impediatur, ex minimo circulationis incremento; viſcera onerat, in omnibus aſthmaticis et nephriticis ſymptomata auget, et prorſus moleſta eſt.

7. Hic

7. Hic effectus in illis qui ſunt molli et laxo corporis habitu, praecipue ſi cibi appetentia retineatur, maxime obſervatur; qui quotidie ſorbillando potandoque, ſtuporem ſibi inducunt; raro potu obruuntur, quamvis multum hauriant; vitamque ignavam ſedentariamque agentes, vigiliarum neſcii multum dormiunt, et plerumque madidi veſpertino tempore in lectum ſe recipiunt.

8. Quibus vero aduſtus et tenuis corporis eſt habitus, vel quorum vaſis major impetus reſiliendique vis ineſt, nimio potu facillime delaſſantur, cibique appetentiam, colorem, robur, pinguedinemque cito plerumque amittunt.

9. Sed praeter effectus ſupra memoratos ex proprietatibus Vini ſpirituumque ardentium, eorumque effectibus in corpus humanum patebit, hos, qui debacchantur, et quotidie ſeſe Vino ingurgitent, ſequentibus praecipue morbis, prae caeteris mortalibus, obnoxios eſſe, ſcil. debilitati vaſorum et viſcerum, cacochymiae, obſtructionibus, inflammationibus, febribus et omnibus earum conſequentiis diris, hepatidi, ictero, nephritidi, podagrae, tumoribus oedematoſis, hydropi, tuſſi acerbae, aſthmati, haemoptyſi, phthiſi pulmonali, denique tabi

totius

totius corporis; cunctaque eorum symptomatum saevorum caterva consequuntur, donec tandem aerumnosae vitae mors optata finem faciat.

10. Magnae Vini ingurgitationis curatio optime promovetur, aegrum lecto affigendo, satisque calidum conservando, frequentesque haustus tenuium diluentium, acidorumque liquorum subministrando, scil. expressos succos quorundam maturorum et acidorum fructuum, aqua tepida dilutorum, saccharo, melleve temperatorum; quae potum jucundum et aptum praebent. Serum lactis ex limonio vel aceto confectum, thea infusa, vel ex farina avenarum decoctum, vel serum vinosum tepidum, plenam perspirationem promovent, quae fovenda est, donec ebrietatis effectus omnino evanescant. Cum vero aeger vomendi magno desiderio, vel magna stomachi aegritudine laborat, subministratio parvae copiae aquae tepidae, vel chamaemeli infusionis uti facilius ejiciat, semper illi utilis erit. Si vero symptomata periculosa sint, sanguinem mittere oportet; et dosis pulveris vel tincturae ipecacuanhae subministranda, ad primas vias purgandas; praecipue si cibi aeque ac potus crapula accesserit, uti saepissime accidit. Ad sitim

sedandam

ſedandam, vomitum ſupprimendum, commotuſque viſcerum leniendos, doloreſque levandos, plenamque perſpirationem promovendam, hauſtus ſalini (aliquando lenia opiata) tuto ſubminiſtrari queunt.

11. Raro opus eſt, ut quid amplius fiat, quam ut mitis aliqua cathartica medicina ſuppeditetur, interdum potio aromatica amara ad ventriculi robur recuperandum. Sed haec aegrotatio facile curatur, quiſque autem cavere poteſt, ne morbus ſit recidivus.

12. Febres autem caeteroſque, qui ex ebrietate adducuntur morbos curare, et ſingulis ſuas curandi methodos proponere non eſt hujus loci; adeo varii ſunt, et pro varia morbi natura, aegri ſtatu, &c. varie tractandi. Generalius tantum conſilium, quod omnibus et omni tempore, accommodari poteſt, ſuggerere liceat.

13. Omne ſtudium et cura exercenda eſt, ut ventriculo et inteſtinis, vires priſtini reſtituantur; aliaque viſcera, concoctioni et chylificationi ſubſervientia, ad munera ſua rite peragenda, adducantur; nervi corroborentur, et ſolida compacta, firma, et elaſtica reddantur. Quae omnia ratione ſequenti tentari poſſunt.

14. Primo

14. Primo igitur minuendus eſt gradatim quantum fieri poteſt, Vini et ſpirituum ardentium uſus; donec aegri tandem carere illis facile poſſint. Haec procul dubio optima eorum deſiderii extinguendi ratio eſt, ſi omnibus liquoribus vinoſis, niſi prandendi vel coenandi tempore, ſe privent; et, modo ne Bacchus, illorum deliciae, ſeſe coram iis ſaepius ſiſtat, ad potationem ſollicitans et alliciens; brevi quidem, quamvis aegritudo et moleſtia quaedam primam abſtinentiam comitetur, amaſii abſentiam facile patientur.

15. Ratio praedicta aliis praeferenda in illis qui bono corporis temperamento fruuntur, et qui facile ferre poſſunt. Sed aliis, qui ebrioſitate ad infirmum et debilem corporis ſtatum redacti ſunt, praecipue ſi aliquo chronico morbo laborarint, etiamſi aliquando febris acceſſerit, Vino non prorſus prohibendi ſunt; aliter cito ad ſepulchra demittentur, quia tam magnam et ſubitam mutationem perferre nequeunt. A Vino igitur pedetentim arcendi ſunt, tanto permiſſo quantum ad ſtomachum conſolandum cibumque concoquendum, vimque vitalibus naturalibus et animalibus functionibus ſuppeditandam ſuffecerit.

16. Diæta

16. Diæta temperata, regularis, ſimplex, ſicca, uti res permittit, alimentaque concoctu facilia et dulcius condita.

17. Emetica aliquando neceſſaria ad ventriculum pulmoneſque liberandos ab lentae pituitae oppreſſione, cujus onere injuſto premuntur, donec vaſa excretoria quodammodo naturalem tonum elaſticitatemque recuperent.

18. Eandem ob cauſam lene catharticum ſubinde ſubminiſtrari poteſt, qualis tinctura ſacra, elixir ſacrum, tinctura rhei amara, et talia, quae eodem tempore ſtomachum et inteſtina corroborant.

19. Lenia aromatica amara decocta vel infuſa, corticis Peruviani tinctura cum aromaticis, extractum gentianae, corticis Peruviani, gum. myrrhae, et multa talia, pilularum forma vel aliter ſubminiſtrata, cum vel ſine ferro, ſi rite adminiſtrentur, maximi ſunt momenti ad valetudinem recuperandam.

20. Aquæ Hartfieldiae, Piermontii, Bathoniae, aliaeque aquae chalybeatae; etiamque Aquiſgrani, Briſtoliaeque, aliaeque ejuſdem generis, ob maxima ſua beneficia in variis caſibus, merito laudantur.

21. Ut primum balneo frigido aeger tuto uti poterit, magno commodo ei erit; ita enim

ſolid

ſolida conſtringuntur, totumque corpus corroboratur.

22. Hic omnino propria exercitatio laudanda eſt, praecipue in aperto, libero et ſalubri aëre, praeſertim equitatio, quae tanta miracula quotidie in millibus aegris peragit, et quae in ſtatu praeſenti ad valetudinem recuperandam et confirmandam, tam idonea et utilis eſt.

FINIS.

Med Hist
WY
E23
1758
G.1